
Nic. Reusneri

Xenium academicum honori
Friderici et Philippi Slesvigi ducum
consecratum.


1585.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

40². - 403.
(LN bis 338)

DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

23.
40/2 - 403

NICOLAI REVSNERI
LEORINI IC. & P. C.

ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ
ſiue

XENIVM ACADEMICVM.

VIRTVTI ET
honori

SERENISSIMORVM
NORVEGIAE HAEREDVM PRINCIPVM D. FRIDERICI, ET D. PHILIPPI,

Sleſvigi, Holſatiæ, & Dietmarſiæ Ducum, Comitum Oldenburgi & Delmenhorſtæ etc. ex Inclyta Academia Argentinenſi in patriam reuocatorum.

OBSEQVII OBSERVANTIAE Q. ergò dicatum conſecratumque.

Bellica ſunt, quæ cernis: acinace tutus, & alter
Iſte leo vngue minax, & catafractus eques.

Cur hoc? Norvegiæ regum gens inclyta bello
Claret, & Holſatiæ gens animoſa ducum



At potior bello pax? credo: ſed hæc quoque præſtat
Arte, eadem ſacræ religionis amans.

Crux notat hoc, cygnusq;. Sed hinc quæ gloria ſurgit,
Pavonis vario pulcrior orbe micat. N Reuſn. V.I.D.

ARGENTINAE.
Apud Bernardum Iobinum.
Anno M. D. XVC.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

NICOLAI REVSNERI LEORINI IC.

ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ ſiue

XENIVM ACADEMICVM.

AD ILLVSTRISSIMOS CELISSIMOSQVE PRINCIPES D. FRIDERICVM ET D. PHILIPPUM, Norvegiæ hæredes, Duces Sleſvici, Holſatiæ, & Dietmarſiæ, Comites Oldenburgi & Delmenhorſtæ.

DVm procul Alſaticâ juuat hinc regione profectos,
Rurſus ad Holſaticos vos remeare lares:
Inclyte Dux FRIDERICE, & tu Dux clare Philippe:
Quos ego, ceu terræ numina magna colo:
Pro xenijs magni non offero ponderis aurum,
Aut gemmam, Eoi quam maris unda parit.
Aurea ſunt regum, vel gemmea munera: nec fas
Principibus tenues eſt ea dona dare.
Paucula ſed vobis pro munere carmina mitto:
Mixtaque cum lacrymis hæc pia vota pijs.
Cætera cùm deſint, haud vota fidelia deſunt:
Et reor euentus ſic habitura ſuos.
Accipite ô animis lætis: & fronte ſerenâ
Perlegite hæc animi tam pia ſenſa mei.
Sic quò fata vocant, pariter vos ſidere dextro
Ducant, atque regant fata benigna viam.

I. ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

AD SERENISS. NORVEGIAE HAEREDES D. FRIDERICVM ET D. PHILIPpum, Duces Sleſuigios & Holſatos.

QVę noua fama? nouus quis rumor, & vnde ſubortus:
In patriam celſos velle redire Duces:
Sidere ſub Brumæ, quum triſtior ingruit annus:

Ac

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Ac riget immodico terra peruſta gelu?
Sic eſt: non hoc ambiguus jam nunciat auctor:
Fama nec à veri diſſidet illa fide.
Quàm metuo caro capiti (libet herclè fateri)
Seu FRIDERICE tuo, ſiue PHILIPPE tuo.
Sed metuiſſe parum nocet: omina læta ſuperſunt:
Tantæ dux Deus eſt ipſe, comesque viæ.
Ille vias ſolus, tempeſtatesque ſerenat:
Proque ſuis conſtans in ſtatione manet.
Ille equidem (fruſtra quid multa timere laboro?)
Pro ſanctis noctes excubat atque dies.
Peruigil ille die Phœbeos mitigat æſtus:
Et Lunæ nebulas nocte, geluque levat.
Ipſe facit, faciatque precor, ne frigora Brumæ,
Impediant cœptas per loca mille vias
Annuat optatis præſenti numine veſtris
Comprecor: & veſtrum dirigat æquus iter.
Dum loquor, aura viam ſuadens ſe mitior infert;
Firmat & ominibus ſic pia vota bonis.
Ite (quid obſtat) & ô auibus felicibus ite:
Seruiat ac longæ ventus & vnda viæ.

II.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM D. FRIDERICVM, HOLSATIAE ET SLESVICI Ducem, Noruegiæ Hæredem

VOTVM PATRIAE.

Parodia Horatiana.

DIVIS orte bonis, optime Patriæ
Princeps gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicita eſt ſibi
Iampridem Patria; ah redi:
Lucem redde tuæ Dux bone patriæ.
Nam vultus ubi lux clara micat tui
Inſtar veris, & hic Sol meliùs nitet;
Cunctis gratior it dies.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Non ſic ægra parens filiolum vnicum
    Deſerta, ac viduo ſola iacens toro
    Abſentem patria longius à domo
    Momentis vocat omnibus;
Quàm deſiderijs icta fidelibus
    Votis ominibusque & precibus vocat:
    Cunctantemque nimis jam nimis ah diu
    Quærit Patria principem.
Tu cuſtos patriæ, tu pater optimus,
    Prudens conſilij, pacis amans piæ:
    Carus Pieridum fontibus & choris:
    Et carus Themidi ſacræ.
Tecum ſancta Fides, Iuſtitiæ ſoror,
    Tecum Relligio, nudaque Veritas,
    Et Virtus redit huc, & Sapientia,
    Et Pax, almaque Fauſtitas.
Quis Moſcum paveat? quis gelidum Scythen
    Quis Oenotria quos factio parturit
    Fœtus, incolumi Principe? quis feræ
    Bellum curet Iberiæ?
Condit quiſque diem mœnibus in ſuis:
    Et ſecurus agros quiſque colit ſuos:
    Hinc ad templa redit lætus, & altera
    Pro te vota facit Duce.
Te multâ prece, te proſequitur frequens
    Iam votis populus: quin laribus tuum
    Miſcet numen, vti Græcia Caſtoris
    Et magni memor Herculis.
Longàs ô vtinam Dux bone ferias
    Præſtes Holſatiæ: clamitat integro
    Cœtus manè die: clamitat & magis,
    Cùm Sol Oceano ſubeſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

III. DIALOGVS.

ILLVSTR. D. PHILIPPI, HOLSATIAE Ducis, & Argentinæ, vrbis Imperialis.

ARGENT. *HOſpes donec eras mihi*
Tu cum fratre, meæ lux Academiæ:
Multi tunc Schola nominis
Et Stoâ uigui clarior Atticâ.

PHIL. D. Donec te licuit frui,
Muſarumq́ue choros viſere candidos
Phœbo gratus Apollini,
Perſarum vigui rege beatior.

ARGENT. *O ſi multa tibi Schola, &*
Fratri præſtiterit, ceu decet, inclyto:
Pro facto fuerit tibi
Mens, & prompta fides, firmaq́; gratia.

PHIL. D. Sat comperta mihi fides,
Sat mens prompta, ſat eſt cognita gratia
Totum fermè biennium:
Pro quo ſemper erit gratia mutua.

ARGENT. *Nunc quando reduces Duces*
Cum uotis patria hîc excipit inclyta:
Qui dux, ille redux uiæ
Sit IEHOVA *Deus Maximus Optimus.*

PHIL. D. Tuq́ue ô nobilis urbs precor
Argentina vale: te Deus, inclytam &
Pro iure hoſpitij Scholam
Longa perpetuò ſoſpitet hîc ope.

IIII.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES D. FRIDEricum & D. Philippum, Norvegiæ hæredes, Duces Sleſvici & Holſatiæ &c.

SOL, oculus mundi, donat ſua lumina terris
Spontè: nec exſpectat vota preceſque nimis.
Sic Princeps, Solis frater, Sol ipſe vel alter
Spontè homines recreat hîc bonitate ſua:
Atque ſui lumen cunctis illuſtre favoris
Inſinuat: lumen (credite) numen habet.

Namque ſalutaris ceu Iuppiter adiuuat omnes,
Et quacunque poteſt parte leuare, leuat.
Quò magis hoc credam: veſtra hæc, duo ſidera, fratres
Cognita ſat bonitas nempè fidesque facit.
Teſtis erit veſtri hæc Academia luce fauoris,
Ceu Solis radijs, clarificata magis.
Te Friderice voco, Dux optime, teque Philippe:
Quos geminos Soles patria terra colit.
O utinam Sol iſte ſua vos luce ſerenet:
Et veſtrâ pariter nos quoque luce diu.

V. AD EOSDEM.

SI pater eſt legum Princeps: ſi conditor idem
Iuris, & eſt auctor maximus ipſe ſacri:
Ipſe magiſtratus ſi lex eſt viua loquensque:
Sæpiùs ut juris pagina ſacra notat:
Principe quid melius juris legumque perito?
Aut Deus, aut certè proximus ille Deo eſt.
Quò maior meliorque, Duces, laus veſtra futura eſt:
Quos legum & juris tantus honeſtat amor.
Sufficit haud vobis, ME prima elementa Magiſtro,
Quamlibet indigno, vos didiciſſe priùs:
Pandectas didiciſſe placet quoque: præter & illas
Codicis hîc vobis lectio ſacra placet.
Sic quæ principium, finem vox addit & ipſa
Principis: & tanto gaudet honore coli:
Felix ô regio tantis dominata dynaſtis:
Quos legum & juris dixeris eſſe patres.

VI. AD IOANNEM A MINGE-roda Equ. Nobilem, Aulæ Holſaticæ Præfectum.

SIc fratres geminos, ſidera Patriæ,
Cœlorum regat arbiter:
Vt te diligo, te IANE libens colo:
Et dotes veneror tuas:

Muſei decus ô, & columen chori.
Magnum te meritò facit
Virtus,& pietas,ars ſimul & fides
Paſſim cognita: & hinc feris
Sublimi celebris ſidera vertice.
Nunc quando hinc abitum paras:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens
Quamuis: vt tibi creditos
Illuſtres geminos Dijs patrijs duces,
Et cœlo ſimul Holſato,
Et patri,& patriæ,& fratribus inclytis
Reddas incolumes,precor:
Et ſerues animæ dimidium meæ.
Sic vos diva Trias regat:
Fortunetque vias agmine cœlico.

VII. AD SODALITIVM AVLAE Holſaticæ nobile vniuerſum.

SI lex ſancta vetus cuique habenda eſt,
Quæ honeſtè jubet hoſpites honeſtos
A ſe mittere patrias ad oras:
Præſentes habitos amicè amicos,
Quoad ſit copia amicè habendi amicos:
Quo vos obſecrò honore, quove amore,
Vos inquam ſimul hoſpites honeſtos,
Et magnos pariter meos amicos,
Iſtâ jam domuitione veſtra,
Dignè proſequar, à que me remittam
Dilecta ad patriç arua commigrantes?
Maior veſter honos,fatebor,vnquàm
Quàm ut poſſim facere hîc honeſtiorem
Quenquam (credite) veſtrûm honore, digno
Quamvis. nam genus,arsque vos,& alta
Virtus,& pietas honeſtat ultrò &

Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Rebus qui comes his honos adhæret.
Quod poſſum, quia non frui licebit
Tam magnis, & honore magno honeſtis
Coràm hîc ampliùs (heu) dein amicis:
Saltem vos memori fide (fides ſi
Forſan hoſpita non ſat hîc tributa eſt)
Et ſancto recolam omne amore in ævum,
Extremo licet orbe vos remotos.
Quid honeſtius eſt, amiciusúe?

VIII. AD CHRISTOPHORVM AB HVnike Equ. nobilem, Aulæ Holſaticæ familiarem.

DVm patrias comitaris ad oras fidus Achates,
CHRISTOPHORE, Holſaticos, pignora cara,
Duces:
Te tot ego votis abeuntem proſequor ultrò:
(Sim quamvis abitu triſtis, amice, tuo:)
Quot ver habet flores, quot ariſtas fertilis æſtas:
Poma quot autumnus roſcida, Bruma niues.
I ſoſpes, varioſque viæ circumſpice caſus:
Sis memor, oro, mei; ſum memor ipſe tui.

IX. AD NICOLAVM AB HAGEN Equitem Holſatum.

TV quoque cum patriæ ducibus (ſic addecet) HAGI
In patriam cupidus docte redire paras?
Ire paras, febris mala quamvis aggravat artus:
Febris onus longæ grande futura viæ.
O factum malè. ſed pietas patriæq;, ducumq;
Vrget amor: febris torquet at ipſa magis.
Quid tibi cum Muſis, & alumnis, peſſima Febris,
Muſarum? procul hinc ô procul ipſa fuge.
Quin age Febris abi nimis eheu corpore laſſo:
Quarta tribus furijs addita nempe ſoror.
Et tu Phœbe, pater vatum, ſis dexter, & ægro
Sis opifer: medicæ quippe repertor opis.

Et vo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Et vos ô Muſæ, vos ſi medicamina noſtis,
Ferte ſalutari pocula mixta manu.
Pocula Pegaſei miſcete ſalubria fontis:
Hoc decet, hoc fas eſt: veſter alumnus hic eſt
Scilicet his votis ego te jam proſequor HAGI:
Pignora quæ fidei ſint tibi certa meæ.
Ipſe viæ Deus eſto comes, medicusq́;: quid optem
Amplius? hoc medico, hoc & duce ſoſpes eris.

X. AD OTHONEM ET BENEDICTVM à Qualen Fr. Germ. Equ. Holſatos.

COMmunis ceu terra parens eſt omnibus vna:
Vnus ſic pater eſt omnibus ipſe Deus.
Cur non una fides, & amor nos copulet unus?
Namq́ue parens nobis terra, pater Deus eſt.
At quamuis nos diſſociat iam terra Deusq́ue:
Aſſociat rurſus nos amor atque fides.
Sic fidei ſeruate precor conſtanter amorem:
Quodq́ue amo vos, gratâ me redamate vice.

XI. AD ANTONIVM CAVCIVM, Principum Holſatiæ doctorem, V. CL.

SIC ergo CAVCI, magne doctor Principum
Sic ibis? ac nos deſeres
Tui æſtuantes hîc amore maximo,
Aequè ac tuorum Principum?
Sic ibis ergo? nec vos hybernæ minæ
Morantur, aut cœlum minax,
Aut Aquilo ſæuus, aut rotata mole nix,
Quæ nunc ſub Arcto candicat,
Fruſtra heu queror, fruſtra requiro te nimis
CAVCI, ſodalis optime.
In patriam redire ſtat ſententia:
Et patrio rurſus Lari,
Patriq́ue Patriæ ſuos iam principes,
Matri & redonare inclytæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Tot artibus doctis, tot & virtutibus,
Linguis tot inſtructos bonis:
Magnæ futuros magna columina patriæ:
Gentis decus magnum ſuæ.
O quanta patriæ ſuſpiria! ô pijs
Quę vota cerno lacrymis
Permixta, per vicos paſſim, per oppida
Cunctas per urbes ciuium,
Equitumque paſſim, & optimatium omnium.
At vos DEVS, viæ comes
Et dux, amico ſiſtat in portu precor
Saluos: ſimulque ſoſpitet
Longos in annos. Cæterùm fidem tibi
Commendo CAVCI jam meam:
Tu redde votivam fidem: ac ſemper mei
Sis quæſo, quoad ſumus, memor.

SEQVVNTVR EPIGRAMMATA EIVSDEM Reuſneri alia nonnulla, ad eoſdem Principes ſcripta.

Ex Faſtis Hiſtoricis.

I.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM D. ADOLphum, Norvegiæ hæredem, Ducem Holſatiæ. Die natali, IIX. CAL. Februar. S. Pauli conuerſioni ſacro.

LVce ſacrâ PAVLI, tua lux natalis ADOLPHE
Magne redit: lucem fas celebrare ſacram.
Fas genio ſimul, ingenioque litare faventes,
Et bona natali dicere verba die.
Qualia dixerunt Muſę, qua Pollio vitæ
Dulcia Romulides munera luce tulit.
Sic equidem virtus tua magne meretur ADOLPHE,
O ſint virtuti tempora longa tuæ.

Magne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Magne fave Princeps: tibi ridet conſcius æther:
Clara tibi PAVLI ridet & ipſa dies.
Fortunata dies, multos revoluta per annos,
Sic redeat ſemper lætior orta tibi.

II.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM, D. Fridericum, Adol. F. Ducem Holſatiæ, De eiuſdem die natali.

TV quoque da nomen faſtis FRIDERICE legendũ
Spontè tuum: quando lux tibi clara redit:
Lux veneranda tuis, & ſemper ſancta colenda:
Quæ tibi natalis, quæ tibi prima fuit.
Illa triumphalis genti, patriæq́ue refulſit:
Grata ſimul Muſis lux, Clarioq́ue Deo:
Illa frequens divis: ſua qui tibi munera læti
Certatim facili contribuêre manu:
Ingenium, genium, genus, eloquium, decus oris,
Regna, poteſtates, divitias, & opes:
Cætera naturæ, fortunæ cætera, mentis
Excelſæ pariter denique cuncta bona.
Qualia ſunt virtus, ars, & doctrina, fidesq́ue
Et pudor, & pietas, relligioq́ue Dei.
Gaude tot tantisq́ue bonis: ſis dexter, & opto,
Sis proſper genti tempus in omne tuæ.

III.

IN DIEM NATALEM ILLVSRISS. PRINcipis D. Philippi, Adol. F. Ducis Holſatiæ, S. Laurentio ſacrum.

QVa ſacer emeruit lauri Laurentius olim,
Sub Decio martyr Cæſare, ſerta ſacrę:
Luce ſub hac prodis vitales natus in auras:
O decus Holſaticę grande Philippe domus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Cingat iô victrix victricia tempora laurus,
Quę ducibus lætis ſemper adeſſe ſolet.
Illa deûm lætis arbor feſtiva triumphis;
Claraque Phœbeæ laurus honore comæ.
Cur ita? nam Phœbi, ſi me non omina fallunt,
Cultor, & Aonidum magnus alumnus eris.
Conueniens generi mens eſt tibi celſa PHILIPPE:
Nec generi genius cedit, & ingenium.
Cingite frondenti frontem vos baccare Muſæ;
Cedat ut hinc ægris noxa repulſa deis.
Et tu, perpetuæ quæ ſpondes ſigna ſalutis
Creſce precor, domino Laure gerenda meo.
Sit bona, ſit felix, ſit fortunata PHILIPPE
Hęc tibi, ſolennis ſemper habenda dies.
Soſpite ſic te ſit ſoſpes quoque frater: & adſit
Perpetuò vobis Soſpita diva Salus.

Ex Paralipomenis Emblematum.

IIII.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM D. Adolphum, Norvegiæ hæredem, Ducem Holſatiæ & Sleſvici, &c.

QVi ſibi, quàm populo magis haud Dux proſit ADOLPHE:
Quamvis Herculeo ſidere natus erit:
Sat tamen ille ſibi felix, & dives amico
Hercule fit: dignus qui Iove patre fuit:
Quem non Iunonis, nec vis inimica ferarum
Fregit, & indomitæ non leve robur hydræ.
Namque voluptatum licet expers, plena laborum
Vita: tamen virtus Hercule digna fuit.
Laude ſuâ celebris victor, clariſſima mundi
Sidera nunc inter conſpiciendus ovat.
Sic Pyrrhum major vis hoſtis crevit in hoſtem:
Crevit at hinc virtus vincier ipſa dolens.

Non

Non tibi,ſed patriæ ſic vtilis eſſe laboras
Dux pie: nam Patriæ vis bonus eſſe Pater.

V.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM D. FRIDEricum, ADOLPH. F. Principem Norvegię hæredem, Sleſvici & Holſatiæ Ducem.

SVnt duo, quæ cernis, delubra, pateſcit HONORI
Iſtud; Virtuti hoc, Dux Friderice ſacrum.
Si penetrare cupis templum ſublimis Honoris
Poſteriùs: ſemper janua clauſa manet:
Sponte per anterius Virtutis, dura ferendo
Spe finis, ſi non veneris ipſe priùs.
Quæ ſequitur, non quæ virtutem prævenit ipſam;
Si qua venit, ſolida hæc gloria ſola veuit.
Nam licet ipſa ſibi precium ſit ſplendida Virtus:
Lenibus hauc ultrò paſſibus ambit Honos.

V I.

AD ILLVSTRISS: PRINCIPEM D. PHIlippum, Adol.F. Ducem Sleſvigiũ & Holſatum.

FLOS eſt venuſtas herbæ, frons ut arboris;
Vtrumque ſed campi decus.
At magna magni Principis ſit gloria,
Regina mundi, Veritas.
Carina robur navis, ædium baſis
Philippe, Princeps inclite:
At magna magni Principis vis, cum fide
Sit ſubditorum caritas.
Cunctas domat ſub orbe res ut Veritas,
Nulla ipſa vi domabilis:
Sic regna fundat hîc Fides & Caritas,
Cunctis bonis amabilis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

VII. AD IOANNEM A MINGERODA EQV. Aulæ Holſaticæ Præfectum nobilem.

Ex Seneca.

INcertus vndas Euripus flectit vagas,
Septemque rurſus flectit, ac totidem refert:
Dum Phœbus Oceano laſſum mergit iubar,
Fortuna talis eſt, quæ fingit, ut lubet,
Arctatque res nullo mundanas ordine.
Nam læta ſæuo protinùs negocio,
Ludum inſolentem ludit: atque pertinax
Transmutat incertos honores: munera
Spargens manu cæca: benigna nunc huic,
Nunc alteri. Sic vita nulli in vitâ propria eſt;
At lęta permutans ſubinde triſtibus
Exæſtuantis more fertur Euripi.

VIII. AD NICOLAVM HAGIVM Holſatum.

De inſignibus eius gentilitijs.

QVid cuſpis iaculi in clypeo, pavonis apertâ
Cauda ſuper galeâ quid triplicata notet:
Vis HAGI dicam: generoſę ſtirpis origo eſt
Cloria, militię parta labore pię.
Sic iaculum, teloque animus præſtantior omni
Te decet: at non laus ſufficit illa tibi:
Muſarum niſi caſtra ſimul, Charitumque ſequaris:
Te ſacer & iaculis armet Apollo ſuis.
Sidereis ergo pavo ceu ſplendicat alis:
Sidereo ſplendet ſic tua fama polo.

IX. AD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

IX. AD EVNDEM.

Ipſo die S. Nicolai.
VI. Decembr.

QVò maior genius, genus hoc ſit maius oportet:
Talis es Cui genius par eſt, & genus, ille placet.
Talis es, ô Equitum decus HAGI, tantus & ipſe:
Qui geminas genij nobilitate genus.
Iuno genus, genium Pallas tibi contulit æqua;
Et genio Veneres addidit ipſa Venus.
Iamq́ue tibi Phœbus ſua carmina donat Apollo;
Gratia ne deſit, comprobat illa Charis.
Ride care Geni, generis præſignis honore:
Cultorique tuo fac geniale ſacrum.
Tuq́ue adeò genio indulgens, modò lætior HAGI
Ride luce tuâ, ſed quoque luce meâ.
Sit tibi Nicoleos, mihi ſit Cyrrhæus Apollo:
Quem puer hac cantat, quemq́ue puella die.
Provocet ille tuum genium: ſimul augeat, opto,
Ingenium: genio creſcat & inde genus.

AD NICOLAVM REVSNERVM LEOrinum Iurecos.

NICOLAVS AB HAGEN.

INgenio Genioq; tuo iam carmina lentè
Perſoluo, inuitis Ingenio & Genio:
Euterpe tua ter Permeſsi gurgite lauit:
Reddit olorinos hæc Leorine modos.
Ingenium Phœbus, Genium tibi Pallas amica
Indidit, & Graios Attica Suada fauos.
Quò fugiam te? me cingunt indagine amores:
Carior hac uitâ, carior his oculis.
Ingenuo Ingenio fraus & ſimulatio nulla eſt:
Et Genio niueo candor adeſt niueus.
Sic iuuat hanc igitur genialem ducere lucem:
Tota meo Genio cedet, & Ingenio.

In-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Ingenio Genioq́; tuo iam Mnemoſidum grex
Plaudit: Muſarum plaudit & ipſe pater.
Vnde meo Genio hæc aura appulit: aut ea Muſa,
Aut Charis eſt, fallor: num nouus hic Genius?

IDEM.

Ad Eundem.

DVm Reuſnere tibi primo ſum cognitus uſu:
Conſtitit inter nos dulcis Amicitia.
Hæc condimentum uitæ eſt prælustre beatæ:
Et uita inuita eſt, ſi ſine amicitia eſt.
Semper ob hoc ego te fido complectar amore:
Inq́; ſinu, inq́; oculis, quoad licet, uſq; geram.
Vtq́; olim fruſtra genitum Venus aurea Amorem
Curandum blandis tradiderat Chariſin:
Donec ab Actiaco monita, Alterum ut edat Amorem:
Quòd felix creſcat mutuus omnis Amor:
Edito & hoc, geminum iunxit Dea mater Amorem:
Poſtidea felix creuit Amoris Amor.
Sic quoq; noſter amor, quò creſcat, mutuus eſto,
Alteri & alteriús mutua cura, precor.
De me ne dubites quicquam: nam fœdere ſancto
Hanc animi mentem dedico, meq́; ſimul.
Redde uicem quæſo: hoc noſtrum æternabit amorem:
Sim tuus, ut meus es: ſimus amore pares:
Si fallo, optârim caris diuiſus amicis,
Perpetua hanc uitam uiuere diuidia.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 338 [40:2,-403 4°]